Noverint universi quod ego Ermesendis uxor Petri de Palacio quondam mercatoris civis Gerunde nomine meo proprio et tanquam manumissor in testamento ipsius viri mei ut asserto deputata nomine manumissorio quo supra et pro exequtione testamenti eiusdem defuncti et nos Petrus et Petrus Philipi fratres filii dictorum coniugum Gerunde et certi scientia nos omnes predicti mater et filii nobis attendentis per nos et nostros vendimus titulo pure et perfecte vendicionis vobis Elicsendi de Cabanes de Sancto Daniel Gerunde et vestris et quibus volueritis imperpetuum. Totum illum quadram terre quam dictus Petrus de Palacio tempore sue mortis habebat et nos nunc iure nostro habemus et tenemus in vall Sancti Danielis et tenetur per ebdomedario ecclesie Sancti Danielis predicti et affrontatur ab oriente et circio in tenedonem monasterii. A meridie in riaria. Ab occidente in via publica. Predictam siquidem quadram terre prout superius terminatur et affrontatur cum introitibus exitibus et pertinenciis suis integritatibus et proprietatibus suis universis et singulis et cum omnibus iuribus et accionibus nobis in predictis seu racione predictorum pertinentibus et pertinere debentibus qualitercumque. Et sicut melius potest dici et intelligi ad omnem vestri vestrorumque bonum et sanum intellectum vobis dicte Elicsendi tanquam plus offerenti et vestris imperpetuum vendimus precio. Centum decem solidorum barchinonensium de terno quos habuimus et recepimus numerando et eos convertemus in exequtionem testamenti dicti Petri de Palacio defuncti. Renunciando exceptioni peccunie non numerate et non recepte et doli. Et legi qua deceptis ultra dimidiam iusti precii subvenitur. Et si magis nunc valet hec vendicio valebit in antea totum illud plus vobis et vestris damus et remittimus nominibus quibus supra. Constituentes nos predicta que vobis vendimus nominibus quibus supra vestro vestrorumque nomine possidere donec inde possessionem tam de iure quam de facto adepta fueritis corporalem in qua intrandi adipiscendi et retinendi plenam vobis et vestris damus et conferimus potestatem. Cedendo insuper nominibus dantes predictis nominibus vobis et vestris imperpetuum in predictis omnia iura et acciones reales et personales et alias quascumque nobis in predictis seu racione predictorum competentes et competere debentes qualitercumque racione vel causa. Faciendo inde vos et vestros imperpetuum dominos et procuratores ut in rem vestram ad faciendum inde vestras omnimodas voluntates. Salvo tamen iure et directo dominio dicti ebdomedarii et sui beneficii in omnibus scilicet in tasquis laudimiis et foriscapiis ac in aliis que ad directum dominium noscuntur spectare pertinere. Cui inde dabitis annuatim in festo Sancti Johannis de junio. Tres solidos barchinonenses de terno pro censu et de expletis decimam et primiciam. Et sic promittimus vobis venditionem quibus supra renunciantes ut istam hanc vendicionem et omnia et singula supradicta rata et firma habere tenere et servare. Et predicta que vobis vendimus vos et vestros [illegible] facere habere tenere et predictis nominibus defendere in pace contra cunctas personas. Et inde vobis et vestris [illegible] nominibus firmiter teneri de evictione et omni dampno et interesse hiis et extra. Ita quod si per quamcumque personam cuiuscumque existat condicionis fiet movebitur seu intemptabitur vobis vel vestris questio peticio seu demanda in predictis. Iu[illegible] tamen promittimus nos nominibus quibus supra ante vos et vestros ponere et in nos suscipere et ducere omnes lites questiones et causas que pro inde fient seu movebuntur qualitercumque vel si vos vel vestri volueritis electione vobis super hiis reservata possitis ipsas lites questiones et causas ducere prosequi et tractare nos [illegible] nominibus quibus supra [illegible] minus vobis et vestris integre restituere omnes missiones dampna et interesse que vel quas vos vel vestri pro predictis feceritis seu sustinueritis qualitercumque una cum toto eo quod inde a vobis vel vestris obtentum fuerit seu evictum et hoc tam obtinendo in hiis quam etiam succumbendo. Super quibus missionibus dampnis et interesse credatur vobis et vestris vestro plano et simplici verbo sine testibus et iuramento. Remittentes eisdem nominibus vobis et vestris pacto inhito super predictis et singulis omnem denunciandi et appellandi necessitatem. Et pro predictis attendendis et complendis obligamus vobis et vestris quibus supra nostri insolidum nos et omnia bona nostra ubique et dicti Petri de Palacio defuncti. Et ego dicta Ermesendis certiorata de iure meo renuncio scienter super hiis beneficio senatusconsulti Velleyani. Et nos dicti Petrus et Petrus Philipi fratres quia sumus sub quinque [illegible] renunciamus super hiis scienter beneficio minoris etatis et restitucionis in integrum et omni alii iuri predictis obvianti. Iurantes nos omnes predicti per Deum et eius sancta quatuor evangelia sponte corporaliter a nobis tacta predictam vendicionem et omnia et singula supradicta rata et firma habere tenere et nullatenus contravenire nec venire aliqua racione. Actum est hoc quintodecimo kalendas octobris anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quarto. Sig+num dicte Ermesendis. Sig+na Petri et Petri Philipi fratrum predictorum omnium qui hec firmamus laudamus concedimus et iuramus.

Testes huius rei sunt Bernardus Barrera civis Sancti Felicis Gerunde et Egidius Capalery vallis Sancti Danielis.

Ego G. Sarroca ebdomedarius Sancti Danielis Gerunde salvo iure meo et successorum meorum in omnibus hec firmo

Sig+num Arnaldi de Pontellis notarii publici substituti auctoritate Petri de [illegible] publici Gerunde notarii qui hec scribi fecit et clausit.

Sit omnibus notum quod ego Ermesendis uxor Petri de Palacio quondam mercatoris civis Gerunde nomine meo proprio et tanquam manumissor eiusdem viri mei quondam et nos Petrus et Petrus Philipi fratres filii dictorum coniugum confitemur et recognoscimus vobis Elicsendi de Cabanes de Sancto Daniele Gerunde nos habuisse et recepisse a vobis numerando omnes illos centum decem solidos barchinonenses de terno pro quibus vobis et vestris nominibus quibus supra imperpetuum vendidimus totum illum quadram terre que dictus Petrus de Palacio quondam tempore sue mortis habebat in vall Sancti Danielis prout de dicta vendicione melius et latius constat per instrumentum vendicionis inde hodie factum in posse notarii infrascripti. Et ideo renunciando exceptioni peccunie non numerate et non recepte et doli facimus vobis et vestris nominibus quibus supra de predictis centum decem solidis bonum et perpetuum finem et pactum de ulterius non petendo. Actum est hoc quintodecimo kalendas octobris anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quarto. Sig+num Ermesendis predicte. Sig+num Petri et Petri Philipi fratrum predictorum qui hec firmamus et laudamus. Testes huius rei sunt Bernardus Barrera civis Sancti Felicis Gerunde et Egidius Capalery vallis Sancti Danielis Gerunde.

Sig+num Arnaldi de Pontellis notarii publici substituti auctoritate Petri de [illegible] publici Gerunde notarii qui hec scribi fecit et clausit.

T. 535 y 425

nº 785

823

1523